



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 98. Et venit tertio. v. 41.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

§. 98. Et venit tertio. v. 41.

Quid autem tertio ad discipulos reuertens Iesum, dormientesque reperiens primum reuersus obiurgat, secundum silet, tertium quiescere iubet. Et cur ita oblecto? Vatis potest dari ratio, S. Hilarius istam anagogicè profert. Primus post resurrectionem dispersos eos & diffidentes ac trepidos reprehendit, secundo, misso spiritu paracletu gravatis ad contuendam Euangelij libertatem oculis, aliquandiu legi amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt, tertio vero id est claritatis suæ reditu securitati eos quietique restituit. Alij tropologicè, ac Allegoricè eadem exposuerunt. Voluit insuper hac sua scriptis repetita oratione exemplum proponere perseverantie in orando & constantiæ firmæ, iuxta illud opertet semper orare & nunquam desistere; sedens ad mensam ora, panem accipiens danti gratias habe, cum potu corporis debilitatem sustentas, reminiscere eius, qui donum hoc dedit ad cordis lætitiam & infirmitatis humanæ consolationem; præterij usus ciborum, memoria præbentis tibi cibos non prætereat, induens tunicam, gratias illi habe qui tibi dedit, pallium tibi obvoluis, auge in te dilectionem Dei, qui per brumam & æstatem necessaria nobis operimenta parat, vitamque nobis conseruat, simulque nostram obtegit fœditatem. Desinit dies, gratias ei habe, quod solem nobis tribuit, operumque diurnorum ministerium, ignem quoque & lunam per noctem & multa alia vita necessaria abunde suppeditat. Nox vero cu aduenierit alias tibi occasionses ac materias orandi ministrabit, quando in cœlum suspexeris, quando astrorum pulchritudinem, situm & motus contemplaberis visibilium Domino supplica, Deum omnium horum conditorem, & artificem adora, qui in sapientia cuncta creauit. Quando item videris omnium animalium naturam somno occupatam, rursus eum adora, qui nos inuitos etiam per somnum a laboribus continuis liberat, & parua requie rursus ad agendi virtutem reducit. Nox igitur non sit quasi sors quedam propria & peculiaris soli somno dicata, neque committas ut per somni insensibilitatem, vita dimidium sit inutile & vanum, sed noctis tempus adhibe ad orationem. Ipsi tibi somni sint pietatis meditationes, exercitationesque.

O Clementissime Pater, per amorem, & trinas supplicesque preces dilecti filii tui, ignore erratis peccatoris famuli tui, suscipe dignissimum sacrificium unigeniti filii tui & obliuiscere iniuriam seruitui: multo enim plura ille soluit tibi quam sit debitum meum. Offero tibi etiam humillimas ignitissimasque preces eius pro omni tempore, ignavia & negligentia mea. Offero denique tibi omnes grauissimos labores, exercitium virtutum, rigida

dam